



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 102. Quid notandum sit circa fidem Beneficiati & professionem fidei ab eo faciendam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

737 Q. 102. Quid notandum circa fidem beneficiarii & professionem non ei ab eo faciendam. R. Seqq.

§. I. Infideles non baptizati sunt omnino incapaces beneficii ecclesiastici, cum non sint in Ecclesia capaces tamen esse possunt, si conversi baptizentur, etiamsi parentes in infidelitate sint mortui, *Shar. Sanch. Passer. de Elect. c. 25. à n. 56.*, quamvis particularibus decretis ejusmodi descendentes quandoque arceantur à quibusdam beneficiis aut Ordinibus religiosis, uti refert *Leur. p. 1. q. 291.* De neophytiis seu recenter baptizatis videri potest idem *Leur. q. 292. & p. 3. q. 361.*

738 §. II. Hæretici sunt incapaces, quia sunt excommunicati, irregulares, infames, ac specialiter prohibentur tam jure humano, Cap. *Quicumque de hæreticis in 6.*; quam divino, 1. ad Timoth. 3, *hæreticum hominem devita.* Extendit hoc *Castrrop. t. 4. d. 4. p. 5. n. 2.* ad hæreticos publicos etiam cum Ecclesia reconciliatos. De fautoribus filiis ac nepotibus hæreticorum; item de punitis per inquisitionem; item de schismatibus, vide *Leur. p. 2. q. 295.* & seqq.

739 §. III. Provisi in Cathedralibus tenentur professionem fidei emittere coram Episcopo & Capitulo, alioqui non faciunt fructus suos, nec eos juvat possessio, *Trid. Ses. 24. c. 12. de Ref.* Si autem quis professionem illam omiserit per ignorantiam, inadvertentiam, oblivionem, facit quidem fructus suos pro foro conscientiae, sed pro foro externo non juvabit eum allegata ignorantia juris clari, *Barb. de Pot. Ep. alleg. 61. n. 29. Sylvius p. 1. v. Fides profectio.*

740 §. IV. Qui admisit parochiam, tenetur ultro perse vel per procuratorem specialiter designatum inter duos menses à die acceptæ pacificæ possessionis far-

cera

terre coram Episcopo vel Vicario professionem fidei,  
& spondere obedientiam Papæ, etiam Sedē Romanā  
aut Episcopali vacante: idem fieri debet, quoties no-  
vam Parochiam accipit, uti statuit *Trid. suprà*: ad  
idem tenetur, etiamsi obtineat Parochiam per resi-  
gnationem, alioquin peccat mortaliter & tenetur  
restituere fructus perceptos post illos duos menses,  
usquedum professionem illam faciat; priùs tamen  
potest sententiam Judicis, uti cùm aliis *Barb. de Off.*  
*Parochi c. 4.*

*Q. 103. Quid circa Clericatum & Ordines 741*  
prerequisites vel annexos beneficio sit notandum.

*R. Seqq.*

§. I. Clericatus dicitur à κλῆρος, *Sors* vel hæ-  
reditas, eò quod Clerici in sua Ordinatione assu-  
mantur in hæreditatem Domini vel assequantur  
hæreditatem in Domino, uti dicitur Cap. *Cum se-  
cundum*, 16. de præb. Acquiritur autem Clericatus  
per primam tonsuram.

§. II. Ad quocumque beneficium Ecclesiasti- 742  
cum, aut etiam ad pensiones super fructibus benefi-  
cii, per se loquendo & ordinariè prærequiritur Cle-  
ricatus, quia laicus non potest possidere jus spirituale,  
Cap. *Si quis deinceps*, & seqq. 16. q. 7. *Lott. l. i. q.*  
*4. n. 121. Corr. l. i. c 5. n. 156. & à n. 163.* Nec suffi-  
cit esse destinatum ad Clericatum, aut communiter  
haberi pro Clerico, quia licet communis error pos-  
sit reddere illa valida, quæ talis facit, non tamen  
reddit eum in se habilem ad aliquid, *Paris. Leur. p.*  
*3. q. 353. n. 2.* Nec sufficit Clericatus conjugati, quia  
jus eum habet tanquam laicum, *Paris. Leur. n. 3.*  
Nec etiam sufficit laicus Religiosi, qui tantum gau-  
det privilegio Canonis, *Butr. Paris. Rebuff. Leur.*  
*n. 4.* Imò præsentatio aut electio alicujus non actu  
Clerici, aut priùs tonsurati post expeditionem litter-

A a

xarum,